DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quintâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXIX.

M°. FRANCISCO-LUDOVICO THOMAS D'ONGLÉE,
Doctore Medico Præside.

An eò difficilior hygieines praxis, quò à naturæ legibus, homo remotior?

I.

IN sudore vultûs tui vesceris pane. (Gen. cap. 3, ℣. 19.) Hæc est unica homini, ad conservandam sanitatem à summo legislatore insita lex. Solis enim in fabulis, terra ex suâ sponte homini victum suppeditat; inculta sibique derelicta, tantummodò *spinas & tribulos germinat* (Ibid. ℣. 18.) Et quidem hominis in hocce mundo conditionem consideranti, statìm quatuor occurrunt vitæ genera, quæ ipsum alere possunt : vita nempè pastoralis, agrorum cultùra, piscatio, & venatio. Solis hisce in conditionibus suæ naturæ accommodatis, ex proprio labore homo sibi victum comparat, seu ut sacræ Scripturæ verbis utar, *in sudore vultûs sui vescitur pane.* Labor igitur sive corporis exercitium, prima est higieines regula, ad quam veritatem demonstrandam, vel levissima sufficit, hominum contemplatio. Quanta enim differentia, laboriosum ruricolam inter & magnarum urbium divitem otiosum : is ab ortu solis ad occasum, in excolendâ terrâ insudat; certis horis certisque diebus, artus laboribus fessos, dulci recreat otio; sufficienti necessarioque victu, varia vitæ dispendia resarcit; huic itaque athleticum robur, huic illibatâ sanitate, ad summum senium pervenire datur : ille è contra inverso naturæ ordine, nocturnum tempus vigiliæ, diurnas horas, somno impendit; è lecto ad mensam omni cupediarum genere oneratam accumbit; quandoque non ad vitandum tædium, sed ad ejus speciem mutandam, per urbis compita molliter in curriculo fertur. Ab eo vitæ genere, innumeri sobolescunt morbi, nullâ ferè medicamentorum arte superandi : ventriculus debilitatus functiones suas malignè exercet, chylus apeptus fit, ab exercitii defectu humores lentescunt, vasa obstruuntur; laxatæ fibræ musculares resolvuntur, artus denique sustinendo corpori, impares fiunt. His de causis ante statutum à naturâ tempus ad terram redit dives, in quâ suæ existentiæ, nulla alia impressit vestigia. Quantùm inter

se forte physicâ differant ruricola & dives otiosus, ex dictis satis abundanter patet : utriusque autem, sors moralis, majorem obtinet diversitatem, sed de eâ tacemus inviti, ne extra circumdatos nobis limites, divagare videamur.

I I.

VIDIT *Deus quæ fecerat, & erant valdè bona.* (Gen. cap. 1, ℣. 31.) Optima est mundi fabrica. Labor, corporisque exercitium, ut mox dictum est, naturalis est hominis conditio; peculiari organorum dispositione, ad laborem fuit à naturâ comparatus: perindè ac cœtera animalia, artuum usu donatur, si tamen quædam cursu eum superant, solus diuturniori itineri, absque ullo sanitatis detrimento, sufficit; si quædam, manuum aliarum-ve partium dexteritate vigent, iis industriâ suâ, præstantior est; si quædam instinctu donantur, in dirigendis motibus idoneo, solus judicium habet, quo diversos corporis motus, combinare potest. Indè liquidò constat, hominem ad sibi victum comparandum, meliùs quàm cœtera animalia, à naturâ fuisse instructum. Si itaque animalia, quæ ab hominis imperio libera degunt, ad summum vitæ suæ terminum illæsâ sanitate perveniunt, cur idem homini non contingeret? Cur tam raro inter homines centenarios videmus, (vitam enim humanam Deus intrà unius centuriæ angustos limites, conclusit)? Cur inter centum animalia, vix unum reperias, quod per totum vitæ suæ curriculum, semel ægrotaverit, dùm verò in pari hominum número, vix unus sit, qui morborum expers, feliciter ad senectutem perveniat? Illud quidem mihi pendere videtur, ex eo quod animalia, sancitis sibi à naturâ legibus, fideliter obsequantur, dum è contrà homo, in suî-ipsius detrimentum vertit præstantissimum naturæ donum, rationem nempè, quâ à cœteris regni animalis entibus distinguitur.

I I I.

BONUM *non est hominem esse solum.* (Genes. cap. 2, ℣. 18.) Homini solo non tantùm rationem & judicium, sed etiam loquelam natura concessit. Hæc tria, hominem ad societatem idoneum fecerunt, ad quam fuit destinatus, & sine quâ forsan genus humanum, jamdudùm è medio terræ sublatum fuisset. Mente enim concipi nequit, quomodo ab omni prorsùs societate remota gens humana, non solùm perennari, sed etiam in totam terram, se diffundere potuisset. Numerosior ea fieri non potuit, quin unà quintum vitæ genus, orinetur. Industriam hìc volo. Sed innumeri propè modi, quibus ea exerceri potest, pariter non consentiunt cum naturæ legibus, ad conservationem hominis. Is quippe sedentariis laboribus, victum sibi comparat: ille toto die, urente sole, pedibus, vel in equo, longum absolvit iter: crassum, mephiticum deleteriumque aërem, spirare cogitur alius; focis ardentibus quotidiè assidet alter. Perferendis variis laboribus ab industriâ oriundis, corpus hominis promiscuè aptum, natura non efformavit. Quid in his centumque aliis circumstantiis, consilium quærenti, Medicus respondere poterit? Num ideò suam conditionem deserere, & ad aliam naturæ legibus magis consentaneam, confugere suadebit? Illud in nostris institutis, impossibile videtur. Aliundè qui consilium petit, sæpissimè nullo alio modo, rectiùs sibi victum comparare potest; cogitur itaque Medicus, ea tantùm suadere, quæ minùs damnosa esse sua sibi edocuit experientia, seu renascentia quotidiè mala, medicamentis debellare. Sed ex eo quod vitam penitùs contrà naturæ leges degenti, integram sanitatem promittere Medicina non possit, absonum est indè colligere, incertam esse Medicinæ scientiam, imperfectumque esse præstantissimum Creatoris

opus. Suæ sunt higieine constantes immutabilesque leges, quas ipsa natura sancivit: iis quippè inquirendis, totus in Paragrapho sequenti, incumbam.

I V.

QUÆDAM societatis vitia, ejus intima perlustrando, prioribus in articulis deteximus; nunc si ad eam generatim sumptam, animum convertamus, apparebit summa Creatoris perfectio, confirmabiturque propositio nostra, quâ diximus singulos homines, ad societatis prosperitatem, simbolam suam conferre debere: è suâ quippè societate, brevi inutilis rejiceretur *Castor*, *Apes*, *Thermita*, qui laboribus familiæ communibus, debitum, non præstaret auxilium. Ità quidem in societatis primordiis, fuisset de homine desidioso; ab hominum consortio rejectus, brevi omnium rerum inopiâ, ferarumque imprimis voracitate, inultus periisset. Labor igitur, illud est quod homo societati debet. Hæc persentiscit rerum humanarum, vel minimè doctus. Sub omni respectu hominem jam consideravimus, ad laborem fuisse destinatum, sanitatique necessarium esse laborem vidimus; exercitio enim & labore artus confirmantur, eorum cardinibus & juncturis, sua conservatur volubilitas. Comminuti humores, ab incrassatione arcentur, & ad destinatos fines, quam facillimè perveniunt. A labore excitatus appetitus, sufficit ad sumendam requisitam simplicissimi victûs copiam. Malignus est divitis otiosi appetitus, quem vix ex ultimis Indiis repetita aromata, suscitent; rustico aratro reduci, tanta est in nigro & vetusto pane edendo voluptas, ut omnes Petroniorum delicias superet. Alimentorum qualitate non fatigatus, quantitate non obrutus ventriculus, naturæ tempus finit necessarium, quo pleno placidoque somno, corpus reficere queat. Ejusmodi somnum, excipit alacris ad vigilias transitus. Laboriosum hominem, parum afficiunt intemperantiæ voluptates. Assiduus igitur corporis labor, secum sobrietatem importat, quam Medicorum Philosophorum constans observatio, alteram esse higieines regulam ab ipsâ naturâ sancitam, edocuit.

Alia maximi momenti ad conservandam sanitatem, ex labore emergit utilitas; mentis videlicet quies. Liquet enim, ex assiduâ corporis exercitatione, animi affectiones, nullas, vel saltem levissimas esse; tunc per metaphisices campos anima non spatiatur, à subtilioribus quæstionibus parum afficitur. Ruricolæ ridiculum videtur pro summo sibi negotio habere, num terra circà solem, ellipticos describat orbes, num aqua inter naturæ elementa, num verò tutiùs inter mixta, accenseri debeat: Regem suum diligit, scit quippè probè institutam societatem, moderatorem habere, sed Ministrorum nomen ignorat: sic Ecclesiæ suæ pastorem humanitate honestisque instructum moribus veneratur diligitque, sed de Episcopi nomine existentiâ-ve, parum curat. Quid insuper ea ad ejus felicitatem? Existentiæ suæ subsistentiam, subsistentiæ laborem suum sufficere certus, ad ea quæ iis extranea esse censet, parùm adtendit. Assiduus itaque corporis labor, animi pathemata arcet, serenamque mentem efficit; quæ conditio, ad sanitatem, multùm confert.

Ex his tribus, labore nempè, sobrietate, & animi tranquillitate, veluti ex fonte plenâ dimanat sanitas, cum verò homini qui ejusmodi sanitate fruitur, nullum sit opus medicinæ consiliorum ad sanitatem conservandam, tota igitur higieines versatur in conservandâ, vel in inclinatâ sanitate erigendâ hominis qui nullâ ætatis temperamentique habitâ ratione, animi sensuumque affectionibus, præjudicatis opinionibus plerumque absonis obtemperatur, ut in sequenti paragrapho erit demonstrandum.

V.

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Curas tolle graves: irasci crede profanum,
Parce mero, cænato parùm, non sit tibi vanum
Surgere post epulas, somnum fuge meridianum,
Ne mictum retine, nec comprime fortiter anum.
Hæc benè si serves, tu longo tempore vives. (Schol. Salernit.)

GENERALIORA inter *Salernitanorum* consilia, nulla (ut ex his paucis constat) reperias præcepta positiva, omnia verò negativa. Hujusce ratio, in promptù est; non enim ad hominem assiduo labore corpus exercentem, sed ad regem, id est ad hominem satiatum, & undèquaqne circumcessum, ab omnigenis voluptatum illecebris, quæ, una corpus & mentem demulcere possunt, spectabat. Homo quippè secundùm simplices naturæ leges vitam degens, soloque rationis adjumento ductus, Medico non eget, ad suam sibi sanitatem conservandam. Aves enim consilium non petunt, num triticum, num milium, num eâ vel aliâ potiùs horâ, num in eâ vel aliâ potiùs quantitate cibum sument; instinctus iis sufficit. Pessima itaque foret hominis sors, si solus inter animantia, sua sibi ratio idem auxilium denegaret. Medicum igitur accersunt, ut eâdem semper servatâ victûs ratione, integram tamen sanitatem conservare possint. Illud vitæ genus inhibet Medicus: sed inhibendo, consiliorum veritatis certos facere nequit. Et quomodònam persuadere posset, quandò ea ipsa quæ inhibet à sensuum affectionibus suadentur, undèquâque ab adstantibus, adulatoribus, agyrtis, aniculis prædicantur. Nec silentio omittendum est; si multi sunt indocti, qui suam in curandis morbis peritiam jactitant, multò quippè numerosiores ii sunt, qui naturæ legum ad animalium conservationem haud gnari, higieines tamen præcepta, magistrali voce tradunt, quique de eâ Medicinæ parte, veris Medicis imperitiam quâ ipsi quibusdam in circumstantiis fatentur, oggániunt. Et re ipsâ quid suadendum homini, qui adversante nativâ corporis temperie, cœlibem vitam degere cogitur? quid puellæ quæ primos amoris ignes persentit, cuique pater est avarus ambitiosusve, vel mater zelotipa superbave? quid homini qui in alienâ domo cibum sibi oblatum sumere cogitur, nec sibi congruum seligere potest? quid hominibus qui sedentariis laboribus victum sibi comparant? quid melancholicis, hippochondriacis, atrabilariis hisce entibus, quibus mens ægrotans in corpore sano? miseri! mentis sensuumque affectiones, coercere nesciunt. Quid ..... nec sufficeret tempus, si omnes casus recensere vellem in quibus difficilis, ne dicam impossibilis est higieines praxis. Singulis itaque in instantibus, à temporibus, locis, circumstantiis, à sensuum mentisque affectionibus, à præjudicatis opinionibus in higieines praxi impeditus Medicus, ingemiscit & tacet.

Ergò eò difficilior hygieines praxis, quò à naturæ legibus homo remotior.

Proponebat Parisiis, FRANCISCUS-ANTONIUS-JACOBUS DUVAL, ex insulâ Borbonicâ, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor.

A. R. S. H. 1789. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1789.